



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
proxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Appendix, De Horis Canonicis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

APPENDIX

De Horis Canonicis.

1. **C**lericus incipit obligari ad Horas Canonicas à punto temporis, quo Subdiacōnatū suscepit, non ante, & quidem ad Horas respondentes illi horæ, quā ordinatur, ex consuetudine, & præcepto Ecclesiæ. Qui autem habet beneficium Ecclesiasticum obligatur etiam titulo justitiæ, adeò ut ad restitutio- nem teneatur juxta proportionem Officii prætermisſi, & in Confessione explicare, se beneficium habere, si id Confessarius ignoret. Patet ista obligatio ex Concil. Lateran. sub Leone X. & Bulla Pii V. apud *Dianam*.

2. Ad Horas non tenentur Novitii, Conversi, Religiosi aliqui ad Chorum non destinati, ut sunt Militares, Hospitalarii &c. Moniales vero obligantur; has tamen, si officium tantum semel iterumque omittant, mortalis peccati damna non audet *Cajet. Armilla, Medina, Lessius in Posthumis, Diana de Horis Cap. tr. 12. r. 17.*

Idem etiam dicendum de Religiosis professis qui nondum sacris sunt iniciati, docent non pauci, & aliqui, eos ad Horas ex præcepto non obligari, quos adducit *Moya* in parte postrema, ad tractatum de Religionē disp. 1. quast. 6. Sed ipse in hoc multò rigidior, contrariam sententiam sustinet, & multis argumentis fusè probat.

3. Habentes onus Horarum peccant mortali- ter, si notabilem earum partem sine justa causa

Q 3

omit-

366 Pars 3. tract. 4. cap 4. De Horis Canoniciis.
omittant. Non censetur pars notabilis , aut
gravè peccatum, si quis omittat unum Psal-
mum , lectionem , aut aliam partem his æqui-
valentem , v. g. tertiam partem parvæ horæ
Docet autem *Palao l. 1. p. 5.* partem notabilem
esse in Matutino , quod est æquale uni parvæ
Horæ. Sanchez in sum , *Tom. 1. lib. 1. c. 18.*
num. 8. censet tres lectiones cum responsoriis, in
feriali officio , esse materiam parvam , id est ,
non sufficientem ad peccatum mortale.

¶ 4. Causa per se excusans à recitatione Horarū
est infirmitas gravis, v. g. dolor capitidis aut oculo-
rum, languor virium notabilis, aut quælibet fe-
bris, si sit assidua: nam tertianam, aut quartanam
non excusaro pro illis diebus, in quibus hominem
omnino liberum , & viribus non multum debi-
litatis relinquit, putat *Bonac. d. 1. q. 6. n. 1. Navar.*

Laym. &c.

5. Excusat etiam carentia Breviarii , nisi ta-
men scias totum officium , vel aliquas horas in-
tegras de memoria recitare. Dixi , integras,
quia et si scias varios officii Psalmos probabile est
ad hos recitandos non obligari. Quia psalmi,
non sunt horæ, aut officium Canonicum : *Escob.*
Mald. Io. Sancius , Garsias &c. hic apud Dianam.

6. Inter hæreticos justum aliquando imped-
imentum est metus prodictionis; Item, gravis aut
repentina occupatio , vel opera Charitatis ma-
joris momenti , quam horæ , que sine scandalo,
vel gravi incommodo tuo , vel alterius omitti
non possunt. Quo modo et si Concionatores,
vel Confessarii aliquando excusari possint , id-
que ex benigna Ecclesiæ intentione , ut docet
Sylvester , & Laym. teneri ramen anticipare , si
possint, v. g. si mane prævideant se totâ die Con-
fessionibus occupandos , quæ differri non pos-
sint,

sunt, hic in fine magis patebit.

7. Denique excusat dispensatio, quam solus Pontifex potest concedere sine causa, cum causa sufficienti id potest pro suis Episcopos.

8. Unum officium pro alio recitare, extra solemniora Festa per annum, non est mortale, nisi illud quod omittis valde multum excedat, vel nisi communiter dicta mutatione utaris. Quod si contingat in aliquibus horis te errasse legendo v. g. de feria, quando erat de festo, vel contra, non teneris lectas repeteret, neque debes in eodem officio pergere, sed in horis eodie currentibus procedendum est. Praestat enim in parte, quam in toto officio errare. *Lefsius, Lugo & alii.*

9. De substantia pracepti est pronuntiatio vocalis exterior: ad quam requirit *Suar. & Reginam*. ut saltem quis seipsum audire possit, cum solus legit: sed probabile est pronunciationem tam expressam non requiri, cum Ecclesia eam nusquam præcipiat, uti docet *Azor, Bonac. Diana &c.*

10. Continuatio lectionis Horarum ita requiritur, ut interruptio unius horæ notabili tempore sine causa facta sit veniale: cum justa causa nullum est peccatum. Singuli enim Psalmi sensum habent perfectum & completum, *Lessius, Layman, &c.* Nocturnum unum ab alio per duas horas separare quavis ex causa licet videtur, immo antiquitus dividi solebant, *Bonac. Escob. Fil. &c.* Matutinum à laudibus integrâ nocte dividere, nullum omnino peccatum est. *Escob. Fil. Sanch. Diana p. 5. tr. 14. r. 48.*

11. Tempus à jure, aut consuetudine præsum non obtinuit, ut Matutinum & Laudes dico sequentis vesperi horâ quartâ, aut etiam

368 Pars 3. tract. 4. cap. 4. De Horis Canoniciis.
tertiā licetē recitentur. Bonac. & plures alii. Et
hyeme mediā horā ante solis occasum dici posse
citra privilegium extra dubium esse docet Fil-
lincius, aliique.

12. Veniale est Matutinum sine ulla causa ad
vesperum differre, vel ante prandium Ves-
pers, & Completorium absolvere. Quia haec est
aliqua inordinata officii inversio. Quod si Mis-
sionarium iter, aut alios alia urgeat occasio,
licitum erit mane omnes horas absolvere usque
ad vesperas inclusivè.

13. Requiritur etiam devotio, sive attentio
interna, faltem virtualis & confusa, sive ad
sola verba, quam sufficere docet Cajetanus, &
consentit Lessius, modo ad sit animus orandi, &
vacandi Deo. Nimis autem laxa videtur opi-
nio Navarri, & Sylvestri, quibus sufficit sine ul-
la attentione interna excludi omnem actionem
aliam cum qua attentio nequeat consistere, ut
scriptionem, studium, aut lectionem.

14. Qui voluntariè distractus in magna offi-
cii parte nullam omnino attentionem adhibuit,
mortaliter peccavit, & tenetur ex sententia
communi Horas sic lectas repetere, & fructus
illi officio respondentes non facit suos. Ratio,
quia qui tenetur ad officium ex præcepto, ad
orationem obligatur, lectio autem sine omni
attentione interna non est oratio. Ita Navar-
Suar. Regin. Bonae. aliique communiter.

15. Si quis ob evagationem mentis dubitet,
an aliquid in officio omiserit, modo habeat
probabilem conjecturam, se id recitasse, quia
v.g. cœpit ab initio cum attentione legere,
præsumere potest, se satisfecisse. Laiman. Bin-
feld. &c.

QUARES, An Beneficiarii teneantur semper
ratione

ratione Beneficii Horas Canonicas recitare?

Respondeo , aliquando non teneri : Primo , non tenentur ante acceptam , possessionem beneficij : vel quando sine sua culpa nullos fructus percipiunt , nec postea percipient . Quia tales non habet beneficium completem , & quoad omnes illius effectus . Et ita cum aliis docet Layman hic lib. 4. tract. 2. cap. 5. num. 3 Secundò , Probabile est idem dicendum de eo qui habet quidem possessionem beneficij , sed ex licentia aut dispensatione non residet , & interea fructus non percipit . Quia obligatio illa est propter sustentationem , qua hic non est conjuncta cum beneficio ; ita docet hic Sanc. Trull. l. 1.c.7. aliquo-

Tenentur tamen probabilius illi qui primo , aut etiam secundo anno fructus non percipiunt ex eo tantum titulo quo fructus assignentur fabricæ aut prædecessori defuncto pro funere &c. quia illi per hoc satisfaciunt fabricæ pro reliqua vita quæ fructus accipient : & post mortem fruentur eodem privilegio pro expensis funeris quod prædecessoribus præstiterunt ; Suarez , Rinaldus Bonacina , Layman hic cap. 5. Negat tamen cum quibusdam Cajetanus , & Lessius , quia tales possint vel mori , vel resignare beneficium , & sic prædicto privilegio carere .

Quando in Missionibus periculoso videtur Breviarium circumferre , aut aliud impedimentum occurrit , à quibus peti posse dispensationem officium in Rosarium , aut alias preces communandi , invenies supra p. 21. in facult. mission. num. 23.

Quando autem aliquis habens simplex beneficium propter omissionem Horarum tenetur ad restitutionem fructuum quos non fecit suos , datur praxis obtinendi condonationem recur-

Q. 5.

rendo

370 Pars 3. tract. 4. cap 4. De Horis Canoniciis.
rendo ad Pænitentiariam Apostolicam , juxta
normam quam tradit Marcus Leone in praxi
Litter. Pænit. pag. 522.

Quare postremò , An , & quando teneatur
prævenire Horas Canonicas , qui prævidet im-
pedimentum superventurum ?

Negant ad præveniendum teneri communi-
ter Authores plurimi , qui citantur apud Dianam ,
& Moyam in select. quæst. parte postrema ad
tract. 3. de panit. disp. 1. quæst. 7. inter quos est Ca-
nus , Ledesma , P. Henriquez dicens esse com-
munem , Thomas Sanchez , Lessius Vericelli ,
Candidus , Turrecremata &c. Sed accuratus
hoc restringit Moya , qui cum distinctione sic re-
pondet : si impedimentum superventum fit à
morbo , neminem teneri Horas prævenire , quod
declarat excommuni praxi etiam timoratorum ,
& mente Ecclesiæ circa infirmos . Infirmita-
tem autem illam quæ excusat , determinat esse
quæ impedit quo minus attentè fiat oratio ; uti
& Sanchez quem citat in consil. lib. 7. cap. 2.
dub. 27. Additque tam quoad totum , tam quoad
parte non esse cum infimo utendū tali rigore :
unde , inquit , raro infirmi tenebuntur aliquid re-
citat. Si autem impedimentum superventurum
fit , non à morbo , sed à natura , vel ex eo quod
legitimo aliquo negatio erit aliquis impeditus
tempore ad Horam designato , tenetur illam an-
cvertere , seu postponere : ita Moya loco citato .

C A P U T V.

De Sacramento Pænitentia.

D E hoc Sacramento pleraque tradidimus
supra tract. 2. & 3. ubi actum est de
Ab.